

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertationem Ex Historia Sacra Petitam, De Hypodematibvs Christi, Rectore Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino, Dn. Friderico Avgvsto, ...

Wilke, Wilhelm

Vitembergae, [1706?]

VD18 13297384

Disputatio Prior, De Hypodaematibus Christi.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha53-1-213107](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha53-1-213107)

J E S U S
Principium nobis & Terminus esto
DISPUTATIO PRIOR,
DE HYPODÆMATIBVS CHRISTI.

§. I.

Non immerito hanc in proscenium ducimus quaestionem, *utrum CHRISTUS calceatus incesse- rit nec ne?* cum prostant in Antiquitate argumen- ta in utramq; partem, quæ, si aut affirmativæ aut negativæ sententiæ adstipularemur, objici pos- sent. Quare ut mentem nostram circa hanc quaestionem bre- vibus exponamus, sic ut primo intuitu quisquis conspiciat, cui sententiæ faveamus, nobis affirmativam haud displicere dici- mus, eandem rationibus corroboraturi, ut & ab objectioni- bus pro modulo ingenii nostri vindicaturi in sequentibus. Fa- xit DEUS feliciter!

§. II. Primo omnium autem ad monumenta sacra recurren- dum nobis erit, ibidemq; fulcra, quibus affirmativa sententiæ innitatur, quærenda erunt. In his autem Johannes inter Ev- angelistas loco, non spiritu ultimus se offert, qui affirmativæ parti subscribere videtur, dum capite III. Matthæi, ejusdemq; versiculo II. à Matthæo loquens introductus inquit: *Εγὼ μὲν βα-πτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἰσχυρότερός ἐστιν, ὃ ἢ ἐγὼ ἐπὶ ἰσχύος τοῦ ὑποδήματος βασιλέως.* Ego quidem baptizo vos aqua ad penitentiam: Qui autem post me venit, validior me est: cujus non sum dignus, qui soleas portem. Subjectum probationis nostræ sunt verba ultima: *ὃ ἢ ἐγὼ ἐπὶ ἰσχύος τοῦ ὑποδήματος βασιλέως* cujus non sum dignus, qui soleas portem. In hæc Evangelistæ verba nonnulla commentabimur, ejusq; expli- cationi aliquot §. destinabimus, quo deinceps exinde affirmativæ sententiæ veritas eo clarius elucescat.

§. III. Initio notanda venit vox *ἰσχυρός dignus*, quæ non tan- tum h. l. verum etiam Marc. I. 7. Luc. III. 16. &c. legitur, & idem valet quod *ἀξιος* Joh. I. 27. Act. XIII. 46. conf. B. Calovius Bibl. Il- lustr. N. T. Tom. I. p. 162. ad Matth. III. 11. Walæus in Libr. Histor.

A

N. T.

DE HYPODÆMATIBUS

2

N. T. p. 25. ad h. l. Sumitur vero Moraliter vox hæc pro dignus, non Physice pro sufficiens ac potens: enimvero hic non agitur de viribus portandi soleas Christi, quas Johannes & quivis alius facili negotio portare potuisset, sed de dignitate personæ Johannis respectu personæ Christi, ut recte annotat Beza. Hoc sensu sumitur 2. Cor. III. 5. 6. vox ἱκανότης, ac dignitatem Apostolicam notat. Conf. Jo. Gerhards Explic. Evangel. ἐλεγκτικὴ p. 114. in Dom. IV. Adventus §. 28. Dorscheus Comment. in Quart. Evangelist. ad Marc. I. 7. p. 179. Erasmus Schmidius in not. ad N. T. p. 57. Quasi diceret: *Ego inter postremos etiam CHRISTI servos annumerari non mereor, propter magnitudinem considerate in eo Divinitatis*, ut ait Euthymius. Super quæ Johannis verba pulchre commentatur Erasmus Schmidius c. l. Ich bin viel zu wenig / daß ich ihm den Reuter-Dienst erzeigen / und ihm die Schuh ausziehen / oder dieselbige ihm nachtragen / oder dieselbige von ihm nehmen / und an seinen gebührenden Ort setzen sollte. Conf. Heideggerus Labor. Exeget. Part. II. p. 22. Perpulchrum sane humilitatis signum hoc verbo edit Johannes, qualem olim Abrahamus, qui stans coram Domino se cinerem dicit & pulverem Gen. XIX. 27. & Paulus se indignum esse, qui vocetur Apostolus, quod persecutus sit Ecclesiam 1. Cor. XV. 9.

§. IV. Qua in re autem se indignum profiteatur tum ex antedictis, tum ex sequentibus patebit: nimirum ut τὰ ὑποδήματα CHRISTI portet. Mitto mysticam Patrum & Interpretum de voce hac interpretationem, dum Ambrosius Lib. II. in Luc. III. Tom. V. p. 30. ὑποδήματα denotare dicit prædicationem Evangelicam: Gregorius Lib. XL Homil. Hom. VII. Tom. II. p. 340. Origenes in Joh. I. part. 2. p. 302. incarnationis mysterium: Chrysostomus in Matth. Hom. III. in oper. imperf. p. 785. A. infirmitates, quibus Deus operit prædicatores: Theophylactus in Matth. III. p. 6. & in Luc. III. duos CHRISTI descensus alterum è cælo in terram, alterum è terra in infernum. Idem in Joh. I. p. 148. adventum CHRISTI ad nos. Conf. Jo. Gerhards Explic. Evangel. Domin. ἐλεγκτικὴ Dom. IV. Adv. p. 115. §. 29. D. Casp. Bertram. in Matth. enucleato p. 69. ut & plus quam monstrosa & portentosa

Cornelii

Cornelii à Lapide interpretatio in h. l. Mitto, inquam, mysticam Patrum interpretationem, cum ea vix aliquid roboris proposito nostro sit allatura, & tantummodo sensu literali hac vice contentus ero, hancque vocem de veris CHRISTI soleis interpretor.

§. V. Quæ vox Græce dicitur ὑπόδημα, Hebraice הַעֵל quam LXX. Interpretes dicto modo per ὑπόδημα, utpote Exod. III. 5. XII. 11. Deut. XXV. 9. 10. XXIX. 9. XXXIII. 25. Jos. V. 15. IX. 5. 13. Ruth. IV. 7. 1. Reg. II. 5. 2. Par. XXVIII. 15. Ps. LX. 10. CVIII. 10. Esa. VII. 16. 18. XI. 15. XX. 2. Ezech. XXIV. 17. 23. Dan. III. 21. Amos. II. 6. VIII. 6. Judith XVI. 11. Interdum & per סנדליה vertunt, ut dicitur §. 6. Josephus ipse in expositione legis de Levitatu סנדליה ea dixit, quæ illi ὑπόδηματα vocant. Vulgatus autem interpres vocem Hebræam הַעֵל semper aut per calceamentum, aut per caligam vertit. Notat vero ὑπόδημα in sacris literis *soleam*. Atque hac vox הַעֵל ad notandam soleam aptissima est, & ut mihi videtur, ex prima origine pro solea usurpata. הַעֵל apud Hebræos pessulo vel sera claudere significat, unde הַעֵל est pessulus, sera. Sed idem verbum vinculo constringere atque calceare notat, quia olim soleæ vinculis circa pedem ligabantur. Hinc vocem הַעֵל pro solea usurparunt Hebræi, quasi vineulum dicas, quod constringit pedem. Sc. uti Græci ab ὑποδεμα, quod est subligo, ὑπόδημα soleam vocarunt; Ita Hebræi à הַעֵל quod est vinculo constringere, voce הַעֵל usi pro solea sunt, ut, quod in soleis præcipuum est, pedem vinculis constringere, ipso nomine notarent. Vocem quoque hanc interpretibus vetustis soleam significare, multis exemplis ostendit. Buxtorffius in Lex. Talmud. Rab. *Solea* dicta aut quod in solo eat, sive, ut scribit Pompejus Lib. XVII. quod in solo pedis subiciatur. conf. Fabri Thesaurus Erudit. Schol. sub voce Solea. Interdum etiam profanis auctoribus *solum* dicitur: Cicero Tusc. Quæst. Lib. V. cap. 32. *Mihi amictus est Scythicum regmen, calceamentum solorum callum.* Plautus, *Qui auro inquit habet suppellectum solum*, i. e. infimum pedis calceaneum, sive soleam. Idem

DE HYPODÆMATIBUS

4. Curcul. Act. 2. scen. 3. v. 18. *Omnes subdum sub solam.* Lucretius Lib. I. v. 925.

*Avia Pieridum peragro sola, nullius ante
Trita solo.*

Conf. Phil. Parei Lexic. Critic. p. 1168. a. sub lit. Solum. Fabri Thesaur. Erud. Schol. sub voce Solum. Salmuth. in not. ad Pancirolli Lib. I. Rer. Memorab. p. 479. Ed. in 8vo. ad cap. de Eqvis. Si quis autem rationem desideret, ob quam ὑπόδημα in sacris notet soleam, hanc tenere potest, quod in Orientalibus regionibus ejusmodi soleis induti inceserint, quæ plantas pedum tantum vestiebant, & certis vinculis sive corrigiis pedibus subligabantur ab ὑπὸ & δέω, quasi subligacula dicas. Atque hæc pedibus nullam molestiam peperere, sed uti omni tempore, sic inprimis itinerantibus ad maturandum cursum accommodæ fuerunt. De quibus plura dicemus, quando ad formam earum pervenimus. Proinde graviter errant illi, qui dicunt Hebræos, imò ipsum Servatorem calceis, qui totum pedem tegerent, usum esse: enimvero hi Hebræis ignoti erant, cum soleati inceserint. Vid. Calovius Bibl. Illustr. N. T. Tom. I. p. 677 ad Joh. I. 27 & alii plures. Enimvero soleæ ut simplicissimum, ita & antiquissimum calcei genus sunt, quo prisca mortales primi solearum opifices uti sunt, ut contra sentium, lapillorum & asperitatum aliarum injurias pedes munitent, dum particulas quasdam ex pellibus animalium plantis subligarunt, quæ consuetudo & cæteris Hebræis observata fuit, ut recte conjicit Bynæus in Tr. de Calceis Hebr. l. i. c. 6. p. 78. Ed. in 4to. Minus quoque accurata versio est, quæ ὑπόδημα per calceum vertitur, ut annotant optimi S. Literarum Interpretes. Hodienum vero aliter accipitur vox hæc: quando late sumitur à Latinis & Græcis auctoribus denotat omne calceamentum, & quicquid modo pedibus inducitur, & hoc sensu sandalia aut soleas includit, ex origine tamen soleam notat. Est enim à verbo ὑποδέω sive ὑποδέομαι quod est subligo, ut quod in soleis præcipuum est, ipsa voce denotetur, ut dictum ante. Strictè vero ὑπόδημα id calceamenti genus notat, quod totum pedem & superne & infime tegit, quale calceamenti genus hodierni

CHRISTI.

hodierni calcei sunt. Non hoc sed illo sensu h. l. accipienda est vox hac, quando Johannes dicit, se indignum esse, ut *ὁ ὑποδήμας* sive soleas Christi porret.

§. VI. Hanc Beza, Immanuelis Tremellii, Francisci Junii & aliorum vocis hujus interpretationem reprehendit Fridlibius Theologus alias summus & acutissimus in Theol. Exeget. p. 16. negando CHRISTUM solea, aut quod ei æquipollet, sandalio usum esse. Dicit enim soleam aut sandalium significare calceum muliebrem: jam autem minus credibile esse, Christum obambulasse solea aut muliebri sandalio. Equidem magni nominis Theologo & post fata adhuc celeberrimo concedo apud Veteres soleam & sandalium fuisse calceum muliebrem: enimvero cum calceorum usus ipsis prohibitus, teste Coelio Rhodigino Lib. X. Antiqu. Lect. cap. 3. & Pancirollo Lib. II. Rer. Memorab. Tit. I. p. 138. 139. sandaliorum usus concessus fuit. Unde ex Beza in not. minor. ad Marc. VI. 9. inquit: *Sandalium proprie est calceamentum muliebre, quod plantas pedum modo tuebatur ab injuria superne, ansulis quibusdam aut funiculis alligatum.* Quod iisdem fere verbis exprimit Erasmus Comment. in Marc. VI. Conf. Pollux Lib. X. cap. II. Tremellius in Not. ad N. T. p. 75. n. 1. Turnebus Lib. XXIX. Advers. c. 8. Eschenbachius in Dissert. Acad. p. 503. diss. de Unditionibus Gentilium &c. Nec vero vile tantum calceamenti genus soleas fuisse constat, sed quoque priscas illas heroínas ante Atheniensis civitatis potentiam & luxum iis usas esse, neminem latet, memorante Aeliano Var. Hist. L. I. Lucian, L. I. c. 18. Eschenbach. c. I. Casaubon. in Sueton. Aug. c. 73. Harum fuisse aureas, & sua habuisse repositoria *σανδάλου ἱμας* appellata, memoria proditum est, quin imo illas habuisse servos sandaligeros, aut servas quæ earum soleas portarent ex Plauto & Persio Sat. 5. patet manifestumque est. Sed non tantum foeminis, verum etiam viris nonnunquam easdem attributas legimus apud profanos auctores passim. Sic Cicero in Verrem. 7. c. 33. inquit: *Stetit soleatus Prætor Romanus cum pallio purpureo tunicaque talari &c.* Martialis L. XII. Epigr. 84. ait:

Et si jam lotus, jam soleatus eris.

Apud veteres quoque Hebraeos soleas utrique sexui communes fuisse, è sacra Scriptura edocemur. Fœminæ assignatas legimus Judith. X. 4. XVI. 7. Viris autem & quidem ipsi Prophetæ Ezech. XX. 2. LXX. Interpr. rediderunt τὰ σανδάλια σε ὑποπόσαι in Hebr. est לַחֲמִשָּׁה Et Act. XII. 8. de Petro dicitur ὑπόδησαι τὰ σανδάλια σε. Unde probabile ex Evangelistis inter ὑποδήματα & σανδάλια nullum fuisse discrimen, præterquam cum Marcus cap. VI. conjungat non sejungat utrumque dicens, ὑποδήμεν & σανδάλια. Recte proinde concludit Beza in Matth. X. 10. inqviens: *Sed cum ex hoc loco, cum etiam ex Act. XII. 8. apparet, Evangelistas inter ὑποδήματα & σανδάλια nullum posuisse discrimen, ut recte observat Erasmus.* ad Marc. VI. 9 Conf. Hugo Grotius ad c. 1. Quinimo & à Veteribus nonnunquam sandalium tam late acceptum fuit, ut Hieronymus ad Esa. XVI. 11. calceamenta, sandalia & caligas pro uno eodemque acceperit. Quidni & recte Christo soleas attribuamus.

§. VII. Cum vero in calidis illis regionibus aut ob æstum solis, aut templum Exod. III. 5. Jos. V. 15. vel conclavia splendiora ingressuri ad cibum capiendum, vel aliud quid facturi (ut hodie Mohammedani cum sacris vacant, quo de vid. B. Aug. Pfeifferus Theol. Jud. atq; Mohammed. Exercit. VII. p. 428.) soleas exuerent interdum, illi, qui illustriori loco ac genere nati aut locupletiores erant famulum aut famulam sandaligeram habebant, qui soleas, quas exuissent, portaret. Hinc Plautus in Aulul. Act. III. scen. 5. servos appellat, sandaligerulos & servas sandaligerulas Trinummo Act. II. sc. 1. Ut plurimum vero apud Hebræos ad has soleas portandas servos Chananæos fuisse adhibitos, memorat Fagius in Deuter. XXV. & Jo. Contr. Dietericus in Antiquit. Biblicis V. T. p. 286. b. Hocque nomine sigillatim omnes servos è quacunque gente Ethnica à Judæis coemptos dictos esse, eo quod de Canaane dicatur, Canaan servus servorum, existimat Lightfootus in Hor. Hebr. & Talmud, p. 239. Ed. Lips. in Qv. Huc spectant verba Maimonidis in מְכַרָּה cap. 2. *Servus Canaanus est sicut fundus quoad emptionem: emitur enim nummo aut scripto קְרָחָה אוּת אוּת famulatio aliquo præstito arrhabenis aut*

pignoris

CHRISTI.

pignoris instar. Et quoniam est talis oppignominatio in emptionem servorum? ut solvat nempe ei (ementi scilicet) calceum suum, aut liget calceum, aut necessaria ad balneum portet &c. cit. à Ligtfooro. c. l. Ad hunc morem & consuetudinem respexisse videtur Johannes Baptista verbo βαρύνει, qui, ut sensus docet, profitetur, malle se alteri vices has relinquere, se indignum esse, ut soleas Christi portet. Consi. Frid. Spanhemius Dubior. Evang. Part. III, p. 141. Dub. 38. § 2.

§. VIII. Nec contrariantur Matthæo reliqui Evangelistæ videl. Marcus, Lucas & ipse Johannes, sed omnes uno quasi ore, id quod Matthæus nomine Johannis asseveravit, confirmant. Marcus I. 7. Luc. III. 16. Johannes I. 27. Quique cum iisdem verbis utantur, perinde nobis est, in quæ verba commentemur. Assumamus ergo Marci, cujus de Johanne verba hæc sunt: *ὁ ἐγὼ εἰμὶ ἱκανὸς κῦψας λύσαι τὰ ἱμάτια τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ* cujus non sum dignus, qui incurvatus solvam corrigiam folearum. De Voce *ἱκανὸς* & *ὑπόδημα* § antecedentibus jam diximus, plura de ea addere super sedemus. Jam jubet ordo, ut de voce *κῦψας* nonnulla adjiciamus. Hæc phrasis unice apud Marcum legitur, reliqui eam omiserunt, & notat procumbens, incurvatus: Quæ phrasis à moribus ac consuetudine servorum desumpta est, gestum famulorum calceos Domino exuentium exprimens, qui procumbendo ad pedes herorum suorum ipsis soleas solutis prius earum corrigiis exuunt, ipsisque ocreas ac crepidas induere solent. Vid. B. Calovius Bibl. Illustr. N. T. Tom. I. p. 483. ad Marc. I. 7. Walæus in Libr. Hist. N. T. p. 353. ad c. l. Frid. Spanhemius Dub. Evangel. P. III. Dub. 38. p. 140. §. 2.

§. IX. Attendendum quoque erit vocabulum *ἱμάς*. Patres de mystica vocis hujus interpretatione solliciti, admodum se torquent. Theophylactus modum incarnationis denotare dicit in Joh. I. p. 148. item peccatorum vincula, seque peccatorum vincula in Christo solvenda non invenire in Marc. I. p. 51. Ut reliquorum interpretationes sicco, quod ajunt, pede prateream. Nos vocabulum *ἱμάς* in genere rem vilem, abjectam & nullius

nullius fere pretii notare dicimus, utpote Gen. XIV. 22. In specie vero & quidem h.l. corrigiam, lorum aut vinculum solearum, quo soleæ adstringuntur, unde & à colligatione derivatur Isidoro, quasi colligiæ dicas, sive à corio, materiam earum indicans, vide Martinij Lexicon Etymologicum sub voce corrigia. Ludovicus de Dieu Critic. Sacr. f. Animadv. in V. & N. T. p. 393. ad Marc. I. 6. Corrigia quoque erat lorum, quo verberabantur servi, ut corrigerentur eine Lederne Peitsche Vid. Faber. sub voce rego. Hic autem notat illud, quo constringuntur calcei, qua voce usus est ipse Cicero Lib. II. de Nat. Deor. c. 40. In unaquaque Hebræorum solea binæ fuerunt corrigiæ, una à parte dextra, altera à sinistra, quibus ligabatur solea. Præter has autem soleæ adhuc annexa fuisse fila lanæ duo, quo eo magis constringeretur solea, & eo firmitus pedi inhaereret, videre est apud Wagenfeilium in dem Bedencken / ob die Heil. Schrift einem Mann erlaube zwey Schwestern nacheinander zu heyrathen (quod affixum est der Belehrung der Jüdisch Deutschen Red und Schreib-Art) qui earum figuram æri insculptam ex statuis vetustissimis depromptam representat p. 37. Has corrigias Hebræi שרשרות vocant Gen. XIV. 23. ab ambiendo sc. quia pedi circumvolvebantur. Græci LXX. Interpretes σφαγαῖντες à σφαγήα involvo, in orbem conglobo. Optime. Corrigiæ enim apud veteres varia ratione circumvolutæ pedibus fuerunt, uti ex antiquissimis statuis apparet, quarum figuram cernere quisquis potest apud Bynæum de Calceis Hebr. Lib. I. c. 7. p. 100. Non enim tantum ipsi pedi circumdabantur corrigiæ, verum etiam ad crus se extendebant vel usus commodioris, vel ornatus gratia. Conf. Walæus in Libr. Hist. N. T. p. 353.

§. 10. Has corrigias solæarum CHRISTI *solvere* Johannes se indignum judicat. Corrigias calceorum *solvere* Poëtis ut plurimum dicitur, vincula demere, vinclis crura resolvere, vinclis pedem exuere. Ovidius Metam. L. III. v. 168.

Vincla duæ pedibus demunt - - -

Virgilius Lib. IV. Æneid. v. 518.

Unum exuta pedem, vinclis in veste recincta

Ovidius

Ovidius de Arte Amandi L. III. v. 272.

Arida nec vinclis crura resolve suis

Etiam detrahere vincula dixerunt pro exuere calceos. Tibullus Lib. I. Eleg. V.

Vinclaque de niveo detrahbet ipse pede.

Idem tamen quod Johannes exprimere videntur. Alias speciem obsequii & reverentiae denotat hæc locutio, sicut Polycarpus ad Eusebium fatetur se nunquam calceamentorum corrigias solvisse ei, sed hoc obsequio semper à discipulis præventum esse. Hic vero significat magnam humilitatem. In ministeriis videmus, sunt verba B. Lutheri Comm. in Genes. XIV. 23. p. 172. quod servi Dominorum brachia, latera, pedes attingant, adjuturi eos. Hoc, inquit Iohannes, mihi non sumo, indignus sum, qui corrigiam calceamenti Christo solvam. Solvere corrigias calceamenti vilissimi servi officium est, loquor verbis Chrysostomi Hom. XV. in Joh. Quodse Iohannes indignus, qui corrigiam calceamenti solveret, Johannes inquam, quo major ante nazos mulierum nemo surrexit, quo nos loco ponemus. Si is qui terrarum orbi æquiparatur, imo qui major est, ne inter ultimos quidem ministros connumerari dignum se dicit, quid nos innumerorum scelerum pleni dicemus, qui tanto Johanne sumus inferiores, quanto calum major est terra. Solvere corrigiam solearum hic idem est, quod abjectissima servitia præstare, ut exponunt Biblia Norimbergensis: nulla enim pars ministerii vilior, quam alicujus calceos solvere, exuere, purgare, sicut apud Latinos matulam porrigere, aquam manibus affundere, &c. Conf. Matth. Flacii Clavis Script. S. P. I. Sub voce calceamentum p. 95. Drusii Proverbia Sacra Glasf. I. L. III. Prov. 35. (quæ adjecta sunt Briani Walthoni Apparatu Biblico) B. Calovii Bibl. Illustr. N. T. Tom. I. p. 162. ad Matth. III. 11. Bebelii Antiquit. Evang. & Jud. p. 849. Braunii de Vestitu Sacerd. Hebr. Lib. I. c. 3. p. 44. & alii. Hinc Hebræi veteres cum servum emerent, non alia oppignoratione utebantur, ut constaret eum in alterius Domini potestatem migrasse, quam ut soleas ejus solveret. Quod ipsum doctissime exponit Seldenus de Jure Nat. & Gent. Lib. VI. cap. 8.

his verbis: Corporelitter in diotie Israelitica possideri servum maxime volebant, si emptori ex venditoris sententia servilia aliqua præstisset opera, in quibus id imprimis memorant, quod est, ut solvat Domino calceamentum suum, aut illud induat. A quo more manasse videtur illa loquendi ad summam discipuli loquentis humilitatem, Magistrique dignitatem exprimendam formula, cujus non sum dignus ego, ut solvam corrigiam calceamenti, quæ in Evangeliiis D. Johannes aliique usi sunt. Hæc Seldenus doctissime! Ex quo desumpsit Walæus & in Joh. 1.27. in Hist. N.T. p. 809. commentatus est. Consentit Maimonides in מכירה cap. 2. ex Gemara Babyl. Kidduschim fol. 22. 2. cujus verba sunt. עבר קטן כבדמה רמו תנו רבנן כיצר בחוקה הדור לו מנעלו או חולך אחריו לבית המרחץ הפשוטו הרחיצו סבו נדרו הלכישו הנעילו הנכיהו. Parvus servus est veluti jumentum tradunt Magistri nostri. Quomodo emitur servus בחוקה? Solvit ementi calceum, portat post eum, quæ ei necessaria ad balneum, devestit eum, lavat, ungit, fricat, revestit, induit calceos ac à terra levat. Quod ipsum apud Veteres proprium servorum fuisse officium diu jam viri eruditissimi observarunt. Plato in Symposio dicit ὑπελυσσε πῆδες, Ἀλκιβιάδην, ἵνα κατωκνήτα: Solvite calceos, pueri, Alcibiade, ut accumbat. Tritum illud est apud Terentium Heaut. Act. I. sc. 1. vers. 72. Accurrunt servi secos detrahunt. Apud Plautum Dinarchus servis imperat Trucul. Act. II. sc. IV. v. 16 & sc. V. 19.

- - Deme soleas, cedo, bibam.

Et Phronæsius ancillæ:

- - Ebo Pithecium

Face ut accumbam: accede Adjutare, sic decet puerperam.

Soleas mihi deme.

De Servis Lucilius Sat. I. 3. ita cecinit:

Cervinus ex emplo plantas convellit honestas,

Et pedibus laeva sycionia demit honesta

Æschylus in Agam:

- - ὑπὲρ πρὸς ἀρβύλας

Δύοι τὰ χεῖρ, πρὸς δὲ λαὸν ἐμβασιὼν ποδός.

ali-

Aliquis mihi soleas solvat ocyus, quæ itinerantis induebantur pedes:
Hinc Tibullus exprimere volens ad omne officium, etiam abjectis-
simum, pauperem fore præsto, ministerium, solvendi calceorum,
corrigias eis adjungit inquit Lib. I. Eleg. 5.

Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit

Primus, & in tenero fixus erit latere.

Pauper in angusto fidus comes agmine turba,

Subjicietque manus, efficietque viam.

Pauper ad occultos furtim perducet amores,

Vinclaque de niveo detrahbet ipse pede.

Quod cum ab Hebræis demandatum fuerit servis, id nolebant fieri
à discipulis ne quidem magistris suis; quamvis enim omne genus
operis personalis, quod à servo Domino suo præstari volebant, etiam
à discipulo magistro suo fieri injungebant, calceorum tamen solutio-
nem excipiebant. Hoc enim docet Maimonides in Talmud, Thora c. 5.
כל המלאכות שהעבד עשה לרבו תלמיד עושה לרבו ואם היה
במקום שאין מכירין אותו ואין היה לו תכילין וחש שמא אמרו לו
עברתו אינו נוכל לו מנעלו ואינו חולעו *Omnia opera quæ servus*
præstat Domino suo, Discipulus præstat magistro suo. Quod si fuerit in loco,
in quo non norunt eum, neq; sint ipsi Tephillin, & sollicitus sit, ne forte dicant
ipsi, servus est, non induit ipsi calceum ejus, neq; ipsi extrahit. conf. Talmud.
Babyl. tractatu Cetubhot c. II. fol. 96. a. Quamvis itaque satis constare
putem discipulos ab hoc vilissimo & sordidissimo ministerio exemptos
& exclusos contra vero servos & quidem non lautioris generis, sed in-
fimi gradus ad hoc vilissimum opus faciendum adstrictos fuisse, ut
ex Laurentii Pignorii erudito commentario, quem de servis evulga-
vit, constat. Sane mirum mihi videtur, quod Johannes discipulus
Christi magistri sui & vir divino spiritu inflatus hoc vile opus servis
proprium sibi vendicet, quin imò se adhuc indignum hoc officio
judicet. Idem mihi hoc ipsum videtur, cum eo, quod legitur apud
Aristophanem Vesp. ubi Senex ille Philocleon, cum ostendere vel-
let vel Theorum, hominem magni nominis ad sordidissima quæque
sibi præstanda paratum esse, inquit:

Ἀλλὰ θέλω, καὶ τοὶ θεῖν ἀνὴρ εὐφραίνει ἔδην ἐλατῶν,
τὸν σπόγγον ἔχων ἐκτὴς λεκάνης τὰ μὲν ἀδὶ ἡμῶν περικανέ.

Vel ipse Theorus, licet vir Euphemio nihil minor, spongiam habens ex pelvi, crepidas nobis extergeat. Sic & hic Johannes Evangelista, praecursor Jesu Christi ne quidem se dignum ad vilissimum hoc opus perficiendum censet. Soleam vilissimum vestimentum inter cetera fuisse quis est, qui nescit. Enimvero et si Veteres Hebraei, Graeci, Romani luxum haud parvum in soleis posuerint, ut dicetur infra, plurimae tamen viles erant, & ex crasso corio, aut ligno aut alia materia vili comparabantur, atque vili pretio vendebantur; ideo conqueritur Deus Amos II. 6. VIII. 6. quod egentem pari calceorum ceteris, & vendiderint, quasi homines vilissimos, de lapide emptos & nullius pretii, qui nulla majori rei cujusdam aestimatione digni sint. Hinc & soleas in aliquem projicere signum fuit extremi contemptus ut Ps. LX. 10. *Super Edomeum projiciam soleam meam*, i. e. nihili eum faciam, calceum meum ei projiciam ut vili servo, quem mihi ut Domino suo curet, custodiat & potest, atque sic sub potestate mea erit servus, & ego ipsius Dominus & herus ero. Vid. & Ps. VIII. 10. Conf. B. Calovius Bibl. Illustr. N. T. Tom. I. pag. 162. ad Matth. III. 17. Erasmus Schmidius in Not. ad N. T. pag. 57. b. Hugo Grotius ad Matth. III. 17. & Ps. LX. 10. Walaëus in Libr. Hist. N. T. pag. 25. ad c. I. & alii. Unde & Tertullianus de Pallio soleam immundissimam pedum tutelam dixit, sc. cum ob pedum sudorem odoremque minus gratum, tum ob pulveris & lutis sorditatem. Unde & Martialis canit:

Quam vetus à crassa calceus udus aqua.

& Quercius non Plautinus apud Salmasium ad Tertull. Libr. de Pallio c. 5.

Sume laneos cothurnos, semper refluos calceos,

Quos pluvia solvat, pulvis compleat,

Canum & sudor glutinet.

Sume calceos humili fluxos regmine,

Quos terra revocet, fraudet limus concolor.

Quidni ergo calceos solvere vilissimum opus erit.

CHRISTI.

§. XI. Una adhuc difficultas notanda, quod Matthæus pro *ἀσπύ* habeat *βασίλειαν* Matth. III. II. videntur ergo Marcus, Lucas & Johannes Matthæo contradicere. Verum enim vero quemque Sacrarum Antiquitatum peritum hæc facile conciliare posse existimo, si veterem istum ritum modo inspexerit. Constat enim servos olim non tantum solvere Dominis soleas, sed & eas portare solitos fuisse, utrumque ergo eorum officium fuit, quod sibi minime contrarium fuit. Conf. Lightfootus in Hor. Hebr. & Talmud. p. 238. Walæus in Libr. Hist. N. T. p. 25. ad Matth. III. II. Proinde itaque diversa hic phrasis eandem rem exprimit. Utraque enim abjectissimum declaratur ministerium, sicuti si quis diceret, non sum dignus tibi portare librum, alius diversa phrasi idem significaret, non sum dignus ingredi scholam tuam: significaretur enim se non dignum esse, qui discipulus ejus sit; ita & Johannes h. l. indicare vult, se non dignum esse, ut CHRISTI servus sit, quæ genuina loci hujus interpretatio est, cum portare soleas aut earum corrigias solvere inter opera servilia positum fuerit, ut diximus ante, quod contra jejunam patram §. 4. adductam interpretationem notandum. Conf. Spanhemius Dub. Evang. Part. III. Dub. 38. pag. 140. §. 2.

§. XII. Ex his dictis nihil impedit, quo minus præcæmibus optimis Sacrarum literarum Interpretibus probabiliter concludere queamus, CHRISTUM Servatorem nostrum incesisse soleatum. Dico probabiliter, nam si ejusmodi evidens solearum Christi, qualis tunica ipsius Joh. XIX. 23. descriptio in N. T. reperiretur, certe non probabiliter sed apodictice concluderemus. Hæc vero cum destituti simus, (puta materia, forma, colore in sacris expresso & descripto) probabiliter saltem Christum incesisse soleis indutum concludimus. Nec est, quod ii, qui negativam partem tuentur ac defendunt (quorum argumenta quæ in contrariam partem ab ipsis afferuntur in posteriori disputatione D. V. refutabimus) ut Did. Stella Comm. in Lucam p. 177. Lyra Comm. in Luc. & alii plures objiciant, hæc Evangelistarum verba proverbium esse apud Hebræos usitatisimum, adeoque ex iis nihil certi concludi posse, quod & magni nominis Theologum fecisse miror, cujus nomen

reticere placet. Nam (1.) negamus cum Vorstio in Lib. de adagiis N. T. c. XI. p. 54. (qui libellus affixus est libro de Hebraïsmis N. T.) hæc verba apud Hebræos proverbii loco adhibita fuisse, id enim neque ex S. Scriptura, neque ex antiquis codicibus Hebraïcis demonstrabitur, id tantum constat solutionem solearum inter servilia & vilissima ministeria positam fuisse, ut dictum §. 10. Conf. Joh. Drusius Prov. Sac. Class. I. I. 3. pr. 35. Posito (2) sed non concessio, hæc verba proverbialem aliquam esse locutionem, verissimum tamen, quod proverbia quævis pro fundamento debeant habere veritatem, quæ necessario adesse debet, aut si desit verbis eadem adagii nomine non veniunt, nec alia sub verbis iis proponi possunt, sed in cassum dicta videntur. Sic verba Eccl. XI. 3. *Si ceciderit arbor sive in meridiem sive in septentrionem ceciderit, ibi erit*; omnium consensu inter adagia numeranda sunt, & tamen etiam in se vera existunt: certe si arbor cadens non eo ipso loco, quo cecidit, permaneret, sed alio in loco propriis viribus deferreretur, frustra hæc dicta forent, nec potuisset Ecclesiastes sub verbis his proponere, quod qualis homo in fine vitæ suæ seu ipsa morte deprehenderetur, talis quoque permanens sit in æternum. Tanta quoque veritas inest locutioni huic figuratæ Johannis: enimvero si Christus nudis semper incesisset pedibus, quem in finem hæc à Johanne dicta forent? quid his dictis fuisset ineptius? nec potuisset Johannes sub illis verbis Christi majestatem & personæ suæ indignitatem proponere. Cum vero illis utatur probabiliter concludimus Christum soleatum incesisse. Quidquod (3) optimi expositores sacri, ut & Patres nonnulli hæc verba de veris Christi soleis accipienda esse doceant. Ut Augustinus Serm. XLII. de Sanct. c. 6. his verbis: *De calceis iis, quibus calceati ambulamus consolatur me idem ille Dominus, si enim calceatus non esset, non de illo Johannes diceret, non sum dignus solvere calceamentorum corrigiā ei.* Et Antonius. III. p. Hist. XXXII. c. 1. §. 1. *Christum calceatum videre possumus in eo, quod Baptista ait, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Conf. Chrysost. Hom. LX. ad popul. Antioch. & alii plures. Quare cum in adductis S. Scripturæ locis mentio fiat, solearum Christi earundemque solutarum, quis dubio locus superesse potest, de solearum usu.

§. XIII. Sed ne his tantummodo stipati rationibus, Christum soleis indutum fuisse affirmare videamur, plures adhuc addere placet. Nimirum probabile est, Christum à moribus Hebræorum non recessisse; hos autem soleas incessisse ex V.T. obscurum esse nequit: Sic Deus Moſen ad rubum ardentem accedentem his alloquitur verbis: *ne huc accedās propius, solis soleas de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra sancta est.* Exod. III. 5. Idem Josua, qui se principem exercitus Dei dixit, mandavit Deus Jos. V. 15. qui Moſes & Josua soleas exuere potuissent, si eis pedes eorum destituti fuissent. Similis prorsus sunt, quæ Deus Israël agnum Paschalem comesturo injungit dicens: *Sic autem comedetis illum, renes vestros accingetis & soleas habebitis in pedibus, tementes batulos in manibus & comedetis festinantes, est enim p̄hase Domini* Exod. XII. 11. De soleis quibus ex Aegypto discesserunt Judæi Deut. XXIX. 5. quas Deus non passus sit deteri, licet iter arduum ac difficile confecerint, sed per quadraginta annos illas servaverit, juxta sententiam Augustini de peccatorum meritis & remissione Lib. I. cap. 3. Chrysost. Hom. IX. in Philipp. Hieron. ad Pamach. adv. errores Joh. Hieros. Ambros. Lib. II. de fide ad Gratiā c. 1. Justin. Martyr. in Dial. cum Triphone Judæo prope fin. Tertull. in lib. de Trinit. cap. 8. Bochart. Hieros. p. 1. pag. 600. nihil addo, cum eandem sententiam exploſerit quam solidissime Bynæus de Calc. Hebr. Lib. II. Cap. IX. De soleis trium virorum in ardenti fornace à Deo una cum cæteris vestimentis illas servatis vid. Idem c. X. Imo vero nec exiguum luxum circa soleas in populo Dei invaluisse quisquis colligere potest ex Esa. III. 16. 18. ubi de mulieribus dicitur, quod monilibus pretiosis-ſimis ornaverint soleas suas, super quem locum multas Rabbiorum explicationes collegit Theologus & Philologus post fata adhuc celeberrimus Martinus Geierus in Opuscul. Philol. quibus insertus est tractatus de Luctu Hebræorum quem vide c. XV. § 1. p. 192. 193. Naud minoris pretii erant soleæ e pellibus taxeis vel ſanthinæ, quæ è corio molli tenero ac eleganti in usum virginum matronarumque delicatarum parabantur, quarum dignitatem & æſtimationem satis superque describunt Interpretes ad Exech. XVI. 10. Item ad Cant. VII. 1. qui pro lubitu peti & consuli possunt. Conf. Bynæum de Calc. Hebr. L. I. c. 3. De sandaliis Judithæ legimus, quod rapuerint oculos Holoſernis Judich. XVI. 11. Qui mos adeo apud Hebræos invaluit, ut nudis pedibus incedere signum luctus & mœroris fuerit, quod inter cæteros Math. Flacius P. I. Clav. Script. S. f. 838. recte elicit ex illo Ezech. XXIV. 17. *Clamare desiste, mortuorum luctum ne facito: tiam tuam alliga tibi, & calceos tuos apponito pedibus tuis: ita scribens; in funebri luctu soliti sunt, non uti coriaceis calceamentis, diebus 30. nudis pedibus efferre & comitari funus: siebantque & lamentabantur suam miseriam deplorantes, & mortuorum celebrantes clara voce: os tegebant panno lineo & caput inſolvebant, præſertim in publicum prodeuntes. H. 3.* Quem morem adhuc nostro tempore observare Judæos, testatur Buxtorffius in Syn. Jud. c. XLIX. p. 706. nec non patet ex omnibus ritualibus Judaicis, verum imprimis ex Mallechet Semochot, sic enim cap. 1. *Non lacerabunt vestes, nec calceos extrahent, antequam obierit.* Et in Minhagin Germanicis Hilchot Avaloib, hæc quoque leges: *Wenn der Meth noch*

noch nit zu Reburah is kommen / tar der Abel nit die Schuh ansehun. *Non opus est, ut lugens calceos exuat antequam mortuus ad sepulchrum delatus fuerit.* Ergo in mortuorum luctu calceos exuebant. Hoc ipsum interdum à Romanis observatum fuisse, ut in funeribus nudis pedibus incederent, testatur Suetonius in Vita Augusti: *Reliquias legerunt primores equestris ordinis, tunicati & distincti pedibusq. nudis, ac in Mausoleo condiderunt.* Vide quæ de Davide in exilio versanti, Achabo metu percusso ac pœnitenti, nec non de Propheta Esaia, discalceatis habet Geierus c.l. p. 197. & 198. Quidquid & in annua illa criminum deploratione in expiationis festo & tempore jejunii nudis pedibus Judæi inceserint in signum submissionis & abjectissimi animi, memorantibus Buxtorffio in Syn. Jud. cap. XXVI. p. 527. Geiero d. l. & l. Thummio in Disp. de festis Jud. & Christ. p. 56. 57. Jonston. de fest. Jud. & Græc. p. 18. Braunio de Vest. sacerd. Hebr. L. l. c. 3. p. 44. seqq. Bynæo Lib. II. de Calc. Hebr. c. IV. Præterlapso vero solito ac destinato ad lugendum tempore, aut illo expiationis festo rursus soleas inducebant. Quem morem ac consuetudinem & Christum generis humani restauratorem observasse probabile est, præsertim cum ex eorum genere natus sit, & omnia reliqua cum eis habuerit communia in vestitu imprimis, eundemque nil singulare in vestitu affectasse legatur in S. Scriptura. Et si à recepta in Oriente consuetudine recessisset Christus, certe quis Ecclesiasticorum Scriptorum assignasset.

§. XIV. Accedit & his rationibus ipsum præceptum Christi, quo Apostolos jubet esse calceatos sandaliis, ita enim verba salvatoris se habent, ut consignata leguntur Marc. VI. 9. *Et præcepit (nempe Christus) iis, ne quid tollerent in viam, nisi virgam tantum, non peram. non panem, neque in Zonis as, sed calceatos sandaliis.* Id quod & Angelum Petro è carcere mox educendo ab ipso injunxisse ex Actis Apostolorum patet, dum inquit: *ὁποδῆσαι τὰ σάνδαλα induε sandalia.* Act. XII. 8. Unde & Baufus scribit Vulgum has soleas vocare Souliers à l'Apostolique quod iis induti fuerint Apostoli, quem citat Alex. ab Alex. Tom. II. Lib. IV. Gen. Dier. cap. 18. p. 227. At Christus quæ docuit & injunxit eadem & fecit Act. I. 1. Unde & Leo Serm. V. de Nativ. Domini inquit; *Christus idem se dixit viam, ut conversatio Magistri forma esset discipuli.*

§. XV. Possent his rationibus aliæ adhuc addi v. gr. dum nonnulli dicunt milites, cum vestimenta Christi inter se dividerent Matth. XXVII. 35. Marc. XV. 24. Luc. XXIII. 34. Joh. XIX. 23. soleas tamen Christi utpote viles, abjectissimas & plane deridas reliquisse & abjecisse (hoc credat Judæus Apella non ego) &c. cum vero præscripta pagellarum angustia nos prolixiores esse non sinat, hinc & his plures addere superfedemus. Reliqua quæ de materia, forma coloreque solearum Christi, ut & argumenta discutienda restant, in posteriori Dissertatione, Deo assistente, dabimus.